ità pariter posse esse in minori, & minori, cùm ut sic possit æquari cuilibet longitudini, nec possit assignari major longitudo determinata, cùm hæc sit infinita sincathegorematicè; planè ostendit Auctor ille non satis firma habere philosophica fundamenta, nec superficialiter quidem callere materiam de continuo, quæ docetur 6. Phys. non enim ex hoc, quod aliqua longitudo est infinita sincathegorematicè, retè infertur, quod non possit assignari longitudo determinata major illa; alioquin sequeretur, quod cùm longitudo palmaris sit infinita sincathegorematicè, quia constat infinitis partibus proportionalibus, non posset assignari longitudo major illa; & ratio est, quia majoritas, vel minoritas molis, & dimensionis non attenditur pænes multitudinem partium proportionalium, & indeterminatarum, quæ in quolibet continuo, quantumvis minimo, sunt infinitæ sincathegorematicè, sed determinatarum, & æqualium; undè cùm dicitur longitudinem extrahibilem ex quadrato, dùm reducitur in quadrangulum, æquari possè cuilibet longitudini, hoc solùm verificatur respectu partium indeterminatarum, non verò determinatarum, nàm si quadratus v.g. sit octo palmaris, si efformetur in quadrangulum, longitudo quadranguli quoad partes determinatas nunquam excedere poterit longitudinem octo palmarem, atque ideò falsum est, quod nequeat assignari longitudo determinata major illa. Sicut si linea palmaris dividetetur per partes proportionales, & istæ successivè adderentur alteri lineæ palmari, hæc linea palmaris, cui talis fieret additio, diceretur semper crescere in longitudinem infinitam sincathegorematicè per partes proportionales alterius lineæ sibi additas, tamen quoad longitudinem determinatam ex tali additione non posset acquirere, nisi novam longitudinem palmarem, itaut ex longitudine sua, & alia superaddita non fieret, nisi duea bipalmaris.

96 Sextò, Idem Auctor rationibus Scoti non contentus aliam rationem addit proprio Marte ad probandum Angelum non posse esse in loco quantumcunque minimo in infinitum, sed etiam versus parvitatem sibi locum determinare; si Angelus posset esse in loco quantumcunque parvo in infinitum, ergò non posset se locare in loco sibi adæquato versus magnitudinem se movendo; probatur sequela, sit v.g. A. terminus à quo ipsius Angeli, dum se movet versus magnitudinem, & terminus ad quem ipsius motus, & loci Angeli sit B. clarum est esse eandem distantiam ab A. & B. ac sit à B. ad A. ergò si dùm Angelus se movet à B. ad A. versus parvitatem, non potest pervenire ad terminum ultrà quem non possit se movere, cùm semper possit esse in loco minori, & minori in infinitum; pariter è contrà, dùm movebit se ab A. ad B. versus magnitudinem, nunquam poterit pertransire illud spatium, nec se locare in solo determinato versus magnitudinem. Nec valet dicere hoc argumentum probare tantùm de Angelo se movente per partes indeterminatas, quæ cùm sint infinitæ, omnes fingillatim, & determinatè pertranire non potest, ut tamen continentur in parte determinata potest illas pertransire. Non valet (inquam) nam ipsi dicunt, quod dùm Angelus se movet à B, ad A, idest versus parvitatem, nunquam potest pervenire ad locum suæ potentiæ adæquatum, cum semper minorem, & minorem in infinitum possit habere, quomodocunque se moveat per illud spatium; ergò à pari cum æqualiter se moveat ab A, ad B. sicut enim descendit, ità ascendit, nunquam poterit pervenire ad B, sed semper spatium pertransiendum remanebit; cùm ergò illa virtus sit determinata, & finita, debet habere effectum sibi determinatum tam versus magnitudinem, quàm versus parvitatem, & determinatè agere respiciendo illud spatium, ut quid determinatum, non indeterminatum.

97 Respondeo, falsum penitus esse, quod Angelus æqualiter se moveat ab A, & B, & à B, ad A, & quod eodem modo descendat à termino magnitudinis versus parvitatem, & à termino parvitatis ascendat versus magnitudinem; etenim quando movetur ab A, in B, hoc est à minori loco ad majorem, iste est motus acquisitivus; at quando è contra movetur à B, in A, hoc est à majori ad minorem est motus deperditivus, siquidem fit talis motus deferendo majorem locum intra sphœram sui loci adæquati, & retinendo minorem, in quo prius existebat, & qui erat pars illius loci majoris; quia igitur versus parvitatem nullus datur terminus, poterit Angelus deferendo successivè majorem locum se se retrahere ad minorem, & minorem in infinitum; quia verò versus magnitudinem datur terminus, poterit successivè è contrà moveri à minori ad majorem quousque perveniat ad maximum, quem sibi determinat, procedendo per partes determinatas, quæ sunt finitæ, & in certo numero; undè argumentum in forma neganda est consequentia, & ad ejus probationem concesso antecedente neganda est rursus consequentia; ac etiam admissa responsione inter arguendum data, neganda est iterum consequentia ad replicam factam contra eam, ob rationem allatam, quod versus parvitatem non datur terminus, & ideò potest semper esse in minori, & minori loco successivè deferendo majorem per motum deperditivum, & quia versus magnitudinem datur terminus, sese movendo per partes loci determinatas tandem perveniet ad maximum locum, quem sibi determinat; ex quo rursus apparet omninò falsum esse, quod æqualiter se moveat Angelus ab A, in B, & è contrà, & quod ità ascendat versus magnitudinem, sicut descendit versus minoritatem; nam procedendo versus magnitudinem reperitur terminus, qui non reperitur procedendo versus parvitatem, nec aliud misterium in hoc argumento deprehendo.

Postremò Poncius *disp.* 14. *cit. q.* 2. *num.* 12. estò probabile censeat nostrum assertum *, & solvat duas rationes Scoti adductas, adhuc tamen probabilius censet Angelum non posse pro libito se se restringere ad minorem locum, quàm sit adæquatus; quod probat, quia nulla prorsus est ratio, aut utilitas, ob quam posset ità se contrahere, nec enim in ullo casu naturaliter possibili potest deservire, aut in emolumentum ipsius, aut universi, quod sic se contrahat; quicquid enim potest facere in loco parvo, ad quem se contraheret, potest facere in loco magno tam facilè, & tam expeditè; ergo non cedit illa virtus contractiva in utilitatem ullam ipsius, aut universi, nec consequenter danda est ipsi. Verùm quamvis Doctor *loc. cit.* etiam in hoc puncto sit problematicus, ut patet lit. L. an scilicet Angelus requirat determinatum locum, & determinatè sicut corpus, itaut non possit ad libitum se restringere ad minorem locum; quàm sit adæquatus, attamen *disp.* 11. *cit. nu.* 85. oppositam defendo, ut communiorem, & probabiliorem, quam ibi prodo ex quotidiana praxi, qua docemur eundem spiritum occupare modò corpus viri, modò pueri, & responsione Bassolii reiicio dicentis, quod cùm idem spiritus modò virum, modò puerum occupabat, obsidendo puerum occupare etiam tantundem aeris circumstantis, quantum opus est ad latitudinem sphæræ localis ejus, hoc enim identidem dicebam esse contrà praxim exorcistarum, qui spiritus interdum cogunt se retrahere ab una parte corporis obsessi ad aliam, & multoties in digito coercent; Ex qua doctrina solvitur Poncii discursus, quando enim nulla alia suppeteret utilitas, vel Angeli, vel universi, quod Angelus ità se contrahere possit, & cohibere intra sphœram sui adæquati loci; satis evidens, & obvia est utilitas jam allata in obsessis, & quamvis non sit ratio necessaria, valdè tamen probabilis est ad suadendum, quod Angelus talem virtutem contractivam habeat, ut possit se continere in minori loco intra sphœram sui loci adæquati.

QUÆSTIO QUARTA.

De motu Angelorum.

An Angelus possit transire ab extremo in extremum non transeundo per medium.

99 NOn est quæstio de motu continuo, & successivo, nam ut etiam Scotus ipse significat 2. *dist.* 2. *q.* 12. ab initio facilè concedunt omnes in hoc sensu Angelum, dum movetur de uno loco ad alium locum, debere necessario transire per medium, etenim motus ideò dicitur continuus, & successivus, quia continuè fit per spatium continuum, & in tempore continuo, & successivo, hoc autem fieri non potest, nisi Angelus motu suo spatium quasi continuet in tempore continuo, & se successivè moveat per illud, præsentem se faciens prius parti priori spatii, deindè posteriori, quo planè motu Angelus transit per medium, ut de uno extremo ad aliud perveniat; Sed solùm est difficultas, ut notat Doctor ibidem, de motu indivisibili, seù mutatione locali instantanea, quæ impropriè dicitur motus localis, cùm hic sit essentialiter successivus, & solet à Thomistis appellari motus discretus; In qua controversia sic explicata tres sunt opiniones, duæ extremæ, & una media; Prima extrema, quæ est communis in Schola Thomistarum affirmat Angelum posse motu discreto seù instantaneo se transferre de uno loco extremo ad alium extremum non transeundo per medium, ità D. Thom. *part.* 1. *quæst.* 53. *art.* 2. ubi

2. ubi Cajet. Sotra, Bannes *dub.* 2. Zumel *quæst.* 3. Nazarius contrv. 17. Vasquez *disput.* 196. *cap.* 2. Zanard. *art.* 2. Io. de S. Thom. *disp.* 20. *art.* 4. & Salmaticenses ibidem, Lezana *tract.* 6. *disp.* 6. *quæst.* 4. & alii Thomistæ passim. Altera sententia extrema absolutè negat posse Angelum naturaliter transire ab uno extremo in aliud sine transitu per medium nec motu continuo, nec discreto, nec tempore, nec instanti, ità Riccard. 1. *dist.* 37. *art.* 3. *quæst.* 2. D. Bonav. ibidem *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. ubi ait rationem non capere, quod motus fiat, & non per medium, Alensis 2. *part. quæst.* 33. *memb.* 2. Rubion 2. *dist.* 2. *qu.* 5. *art. ult.* Gabriel *quæst.* 3. *artic.* 3. Molin. *part.* 1. *quæst.* 53. *art.* 2. Valentia ibidem, Arrubal Granadus *disp.* 4. Suarez *lib.* 4. de Angelis *cap.* 19. licet *cap.* 18. primam quoque tueatur, ut probabilem, Arriaga *disp.* 7. *sect.* 1. *subsect.* 2. & alii passim extra Scholam D. Thomæ.

100 Tertia sententia media est Scoti 2. *dist.* 2. *q.* 12. ubi duplex distinguit medium aliud participans de extremis, & aliud non participans, quod ità explicatur; dupliciter enim designari possunt loca extrema, aut enim hæc sunt ità inter se distincta, & dissita, ut inter illa interiacear aliquod spatium medium non compactum ex eisdem extremis, ut v.g. si locus, vel spatium sit tripalmare, primus, & tertius palmus dicentur loca extrema; secundus autem palmus dicitur medium, quod nihil est extremorum, quia non est ex illis compactum, neque cum eis communicat; aut loca extrema sunt inter se conjuncta, itaquod inter ea non detur aliud medium, nisi compactum ex parte unius extremi, & parte alterius; ut v.g. si spatium sit bipalmare, tunc inter utrumque palmum designari potest palmus medius, non quidem ab utrisque distinctus, & cum eis non communicans, sed ex semipalmo utrique compactus, & cum utrisque communicans; quo pacto non solus ille palmus medius communicans designari poterit, sed plura, & plura in infinitum, sicut dici solet de partibus communicantibus quantitatis; inter quæ media scilicet communicans, & non communicans, ait Doctor hoc præcipuum reperiri discrimen; quod primum cùm fiat per divisionem secundùm partes proportionales, non actu mediat, sed potentia; secundùm verò actu mediat, quia designatur per partes æquales non communicantes, facitque actu latera distare, & consequenter ordo inter loca extrema per media ista non est ejusdem rationis, nam inter illa est ordo potentialis, inter ista verò actualis; hoc prænotato afferit hæc sententia, quod si Angelus moveatur ad locum distantem per medium non participans, seù communicans, debere naturaliter loquendo transire per medium; at si moveatur per medium participans, non esse necesse, ut transeat per medium, sed illud occupare posse simul cum extremo; ut v.g. si sphœra Angeli sit bipalmaris, potest Angelus existens in tota sphœra bipalmari statim se locare in tota sphæra bipalmari immediatè sequente, & contigua præcedenti, absque eo, quod prius prioritate temporis, sed tantum naturæ attingat partes sphœræ subsequentis proximiores sphœræ præcedenti, sed simul tempore attingat omnes, & singulas partes tam proximiores, quàm remotiores sphæræ subsequentis; Hæc est sententia Scoti *loc. cit.* quàm sequuntur omnes ejus discipuli Lichet. ibidem, Mairon. *quæst.* 13. Rada *tom.* 2. *controv.* 7. *art.* 5. Brancatus *disput.* 6. *q.* 4. Faber. in 2. *disp.* 22. Vulpes *disp.* 19. *art. ult.* Poncius *disp.* 14. *q.* 4. & Recentiores quamplures Bocc. *tract.* 3. *cap.* 1. *quæst.* 6. Averta *quæst.* 53. *sect.* 4. Amicus *disp.* 6. *sect.* 4. ac etiam quamplures citati pro secunda sententia, qui dum Angelo negant transitum ab extremo ad extremum sine medio, loquuntur de loco distanti, & de medio interlecto non participante ex extremis.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolutio Quæstionis.

101 PRo resolutione quæsiti notandum est, quod ut dixi ab initio quæstionis, non est hic difficultas de motu continuo, & successivo, undè minus accuratè Brancatus, & quidam alii Scotistæ dixerunt, Scotum asserentem Angelum non posse transire ab extremo in extremum sine transitu per medium, loqui de motu verè successivo, & continuo, & de motu propriè sumpto, quatenus includit omnem realitatem veri continui motus; perperam, inquam, id dixerunt quoniam Doctor ab initio quæstionis ait, quod loquendo de motu continuo, & successivo ab omnibus est concedendum non posse Angelum transire ab extremo in extremum sine transitu per medium, sivè participans, sivè non participans; & ratio est, quoniam 6. Phys. dicitur medium, in quod prius veniat, quod continuè mutatur, quàm in extremum, & ideò si continuè movetur, prius venit in medium, quàm in extremum, nec devenit in extremum, nisi transeundo per medium; Tùm quia ordo prioris, & posterioris in motu est secundum ordinem prioris, & posterioris in magnitudine, suprà quam fit motus, unde mobile dicitur esse in priori parte motus; quia est in priori parte magnitudinis; & in posteriori parte motus, quia est in posteriori parte magnitudinis, & in media parte motus, quia est in media parte magnitudinis; si ergò motus est continuus, oportet quod mobile prius sit in medio, quàm in extremo, nec veniat ad extremum, nisi transeundo per medium. Quare lit. B. concludit totam difficultatem esse de motu instantaneo, ac indivisibili, quem Angelo convenire posse probaverat q. 11. præcedenti; quatenus potest totum unum locum simul dimittere, & toti alteri loco simul se applicare; explicando autem ibi lit. C. quomodo dici possit Angelus moveri, vel mutari in instanti notat, quod duplex potest cogitari mutatio localis instantanea, una includens totam realitatem motus, alia verò præcisè includens realitatem termini motus, quando enim dicitur Angelus mutari ab A. Vbi usque ad B. Vbi potest intelligi dupliciter, vel quod simul habeat omnia Vbi intermedia, sicut haberet si moveretur successivè; vel quod illa mutatione præcisè haberet ultimum ubi terminans, sicut haberet si illa mutatio esset ultimus motus; primo modo inquit non videri qualiter Angelus virtute naturali possit moveri, vel mutari in instanti, quia non videtur, quod virtute sua naturali possit habere plura ubi æqualia, & adæquata; secundo modo non videtur inconveniens, quin possit moveri in instanti; quia quod terminus motus non statim inducatur, hoc est ex imperfectione virtutis ipsius moventis, quæ imperfectio non est attribuenda Angelo nisi aliqua necessitas appareret, quia dignificanda est natura, quantùm apparentia permittunt; hoc autem præsupposito pro resolutione prælentis quæstionis, Doctor statuit duas conclusiones.

Prima conclusio est, quod loquendo de motu, seu mutatione indivisibili modo jam explicato potest Angelus tali motu pertransire ab extremo in extremum immediatum non transeundo per medium, quod est aliqui id utriusque extremi; Hanc breviter probat Doctor, quoniam si transiret per tale medium continuè transiret, & non instantaneè, quod est contra præsuppositum; Tùm quia potest Angelus existens in media parte loci sibi adæquati illa non relicta collocare se in instanti in altera parte loci, itaut occupet totum locum sibi adæquatum, & hoc passim ab omnibus conceditur, qui Angelo motum in stantaneum non negant, ergò eadem ratione poterit existens in toto loco bipalmari v.g. sibi adæquato, in instanti illum deserere, & statim de se collocare alio loco bipalmari immediato. Ratio a priori est, quia Angelus non habet partes, secundùm quas sit commensurativè in loco, sicuti corpus, sed totus in toto, & totus in qualibet parte loci; ergò necessarium non est, quod successivè derelinquat priorem locum sibi adæquatum, & successivè acquirat posteriorem immediatè sequentem: sed sufficit unica instantanea mutatio, qua deserat simul & semel priorem, & acquirat posteriorem; si ergò in eodem prorsus instanti deserit totum locum priorem sibi adæquatum, & acquirit totum immediatè sequentem; non potest prius tempore acquirere partes proximiores, quàm remotiores loci subsequentis, sed omnes simul.

Quod adhuc amplius declaratur, quia dùm Angelus deserit extremam partem locis prioris, non transit per medium participans ejusdem, ut perveniat ad extremum loci posterioris, sed simul deserit extremitates, & medium loci prioris, & simul occupat extremitates, & medium loci posterioris; corpus autem non potest ità moveri, quia transeat etiam per medium participans, quia non potest simul, & semel deserere totum locum præcedentem, & acquirere subsequentem, & contiguum; sed ità paulatim movetur, & successivè, ut secundùm diversas partes sui relinquat successivè diversas partes loci divisibilis præcedentis, & ità fit in medio participante, idest partim termino à quo partim in termino ad quem, quia scilicet partes corporis locati, quæ sunt in extremitatibus loci præcedentis, non possunt accedere ad novum locum, nisi partes transeant per medium, & finem loci præcedentis, quod est medium participans, in quo partes illæ non erant, antequam mobile moveretur: Ex quo colligitur, quod quia respectu mobilis

corporei medium participans est solùm participans respectu totius corporis, non autem respectu singularum partium ideò non firmotus ab extremo ad extremum sine medio participante, per quod transeant partes mobiles, quæ in illo non erant; at verò medium participans Angeli nullo modo est non participans, & ideo potest fieri motus ab extremo ad extremum sine medio, ut per se patet. Confirmatur cum Maitone exemplo animæ rationalis, quæ in eodem instanti, quo corpori organizato infunditur, debet illud totum informare quoad omnes partes etiam inter se distantes, quod non est facilius, quàm Angelo in instanti occupare locum divisibilem; & in nutritione relicta in instanti una parte carnis, quæ fluit, simul aliam de novo aggeneratam informat non prius informando partes proximiores, quàm remotiores, sed omnes simul; ergò idem esse potest de Angelo quoad diffusionem, & explicationem suæ substantiæ in loco.

103 Dices, locum illum continuum, & contiguum esse in plures partes indivisibilem, quarum una est remotior à loco priori, quem Angelus deserit, & alia vicinior, sed nequit Angelus transire ad partem remotiorem, quin prius pertranseat partem vicniorem; ergò nequit in instanti occupare locum proximum. Negatur minor, quia anima rationalis etiam non prius informat unam partem corporis, quàm aliam etiam si inter se distantes abinvicem; & Sol quoque in instanti illuminat totum aërem, nec prius tempore producit lumen in parte viciniori, quàm remotiori. Dices corpus non posse sic moveri, ergo neque Angelum; Negatur consequentia ob disparitatem allatam in probatione conclusionis de mobili corporeo, & in corporeo. Dices, hinc sequi dari duo instantia invicem immediata, primum quo Angelus relinquit locum præcedentem, alterum quo acquirit subsequentem. Negatur rursus consequentia, sicut enim idem instans mensurat mutationem deperditivam formæ præcedentis, & acquisitivam subsequentis; illam quidem extrinsecè, hanc verò intrinsecè, quatenus primum esse formæ subsequentis est primum non esse formæ præcedentis; ità in proposito idem instans mensurat utramque Angeli mutationem nempe deperditivam prioris loci, & acquisitivam posteriori, unam intrinsecè, alteram extrinsecè; Dices, si Angelus potest in instanti deserere unum locum adæquatum, & alium immediatum acquirere, poterit etiam eodem modo acquirere tertium, ac quartum, & quidem singulos per singulas mutatione instantaneas, quo casu omninò negari non potest dari plura instantia invicem immediati; Thomistæ hoc totum gratis concedunt, & hunc dicunt esse motum discretum Angelis competentem, qui nempè componitur ex pluribus motionibus instantaneis sibi invicem succedentibus, cui etiam dicunt correspondere pro mensura proportionata tempus discretum ex pluribus instantibus, & morulis indivisibilibus compositum.

Scotum tamen 2. *dist.* 2. q. 11. *dico ergo*, nec motum, nec tempus discretum admitti, quoniam ex Arist. 5. Metaph. 17. & motus, & tempus sunt de genere continuorum, motus siquidem essentialiter imbibit continuitatem ex continuitate spatii pendentem, in quo fit; quare sicut non datur spatium discretum, ità nec motus supra ipsum factus poterit esse discretus; inquit igitur Doctor, quod non sunt entia sine necessitate multiplicanda, nam quicquid salvatur per illud tempus discretum; salvabitur etiam per tempus continuum; undè si ponatur Angelus transire in instanti de uno loco ad alium, licet possit etiam transire ad tertium, & quartum; non tamen post unum transitum instantaneum potest habere alium transitum instantaneum immediatum; sed tantum post illud instans potest habere motum continuum in tempore immediatè sequenti ad illud instans, & rursus instantaneè moveri potest in instanti immediatè sequenti ad illam temporis particulam, & sic deinceps.

104 Altera Scoti conclusio est *loc. cit.* quod Angelus quatenus in loco constituitur per exhibitionem, & præsentiam suæ substantiæ (quod dico propter Thomistas oppositum hujus conclusionis defendentes, quia ponunt Angelos in loco per operationem) & movetur localiter per instantaneam mutationem præsentiæ, non potest naturali suæ virtute transire ab extremo in extremum distans, inter quæ sit medium non participans, id est non compactum ex eisdem extremis absque eo quod transeant per tale medium. Conclusio est communis Auctorum secundæ, & tertiæ sententiæ contra Thomistas, quam etiam forte & ipsi tenerent, si ponerent Angelos in loco per præsentiam propriæ substantiæ; & non tantùm per operationem; quamvis autem conclusio sit communis, non tamen est communis probatio, aliqui enim probant, quia quod movetur vel est partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, vel est in medio inter utrumque terminum; sed Angelus non potest priori modo moveri, cùm non habeat partes, ergò non potest moveri, nisi posteriori modo transeundo per medium; Hæc tamen ratio probat duntaxat talem transitum ab Angelo fieri non posse per motum continuum, & successivum, & ad hoc ipsum adducitur à Scoto *loc. cit.* ab initio quæstionis, minimè tamen probat non posse Angelum prius In uno loco existenti fieri statim præsentem in alio loco distanto per instantaneam mutationem, quo sensu tantùm movetur hæc difficultas, ut dictum est supra. Rada cum quibusdam aliis Scotistis hanc aliam rationem addere solent, quæ proindè ab exteris censetur esse Scoti: ità essentialis est ordo inter partes loci respectu creaturæ, sicut inter partes temporis, sed à tempore præterito in futurum non potest esse transitus, nisi per præsens; ergo similiter ab uno loco distanti non potest transiri in alium distantem, nisi per medium, Attamen hæc ratio neque Scotica est, neque concludit; quia res præterita essentialiter connotat aliquando fuisse præsentem, etenim præteritum dicitur, quod fuit anteà præsens, quod si nunquam fuisset præsens, nequaquam posset dici præteritum; at mobile ut transiens de uno loco ad alium distantem non connotat essentialiter fuisse in medio, alioquin neque per divinam potentiam talis transitus fieri posset, quod tamen falsum est, quia corpus Christi in Cælo existens quotidiè per adductionem perducitur ad hostias consecratas, & tamen non transit per medium; ergo ratio ista non concludit, quia nimis probat.

Melius itaque probatur ratione Scoti, quam estò aliqui labefactare contendant, si tamen intelligatur, ut par est, probabilissima est, adeout eam ipsam quoque adhibeant, qui illam infirmare conantur; ordo præfixus à superiori agente, tanquam ab auctore naturæ, videtur necessariò servandus à quocunque agente inferiori, si operati debet juxtà connaturalem rerum ordinem, quo sensu loquimur in proposito; sed à Deo, ut ab auctore naturæ præfixus est ordo, ut non deveniatur ab extremo in extremum, nisi cum transitu per medium; ergò talis ordo erit quoque servandus ab Angelo in acquisitione loci distantis, tanquam ab agente inferiori; majorem probat Doctor exemplo, nam ordo formarum naturalium succedentium sibi in generatione naturali determinatus est ab instituente naturam, & ideò respectu cujuscumque agentis naturalis est necessarius, itaquod nullum agens naturale potest facere immediatè acetum ex vino ex 8. Metaph. probat quoque minorem, quia à Deo præfixus est ordo partium principalium universi cuilibet agenti creato, & virtuti creatæ; ex quo concludit talem ordinem esse necessarium, quando agens creatum debet agere circa illa, quorum est talis ordo; atque ideò, quod Angelus quando movetur per corpora, quorum est talis, ordo, non potest absque omni ordine de quocumque Vbi facere se in quodcumque Vbi immediatè, tunc enim nulla distantia videretur impedire actionem ejus; ità Doctor, quæ ultima verba valde sunt notanda, quoniam in eis continetur tota vis rationis, quæ etiam utuntur Adversarii, ut mox ostendemus.

Respondet Cajet. cum aliis Thomistis hunc ordinem de transeundo per medium esse proprium rerum corporalium, non spiritualium, quæ non dependent à loco, seu spatio, sed denominantur illis; quoniam cùm sint immateriales substantiæ, absolutæ sunt à legibus distantiæ situalis, à qua dependet corpus, & ideò transire possunt ab extremo ad extremum sine transitu per medium. Contra, quia immaterialitas absoluit quidem Angelum à lege essendi in loco circumscriptivè, & per commensurationem, non tamen à lege essendi in loco definitivè, nempè ità hic, quod non alibi, vel ubicumque sicuti est Deus; eò enim ipso, quod est substantia finita, & limitata est in certo, ac determinato loco verè, & propriè per exhibitionem suæ substantiæ, sicut corpus, ac proindè ipse quoque suo modo legibus distantiæ localis subjacet; ergò ratione talis limitationis nequit ex se de extremo ad extremum moveri mediis prætermissis, & ipse quoque suo modo tenetur ad servandum talem ordinem à Deo omni agenti creato præfixum.

Respondet Vasquez esse utique à Deo ordinem præfixum inter partes ipsas universi quantum ad earum situm, atque distantiam, & talem ordinem ab Angelo inverti non posse, at talem ordinem non esse Angelo præfixum quoad transitum, ita quod necessariò illum servare teneatur; Verùm si ratio Scoti benè perpendatur, probat etiam talem ordinem esse Angelo præfixum quoad transitum partium universi, etenim si absque tali ordine Angelus posset se movere ab extremo ad extremum, hoc posset in extremum quantumcunque distans, undè nulla distantia quantumcunque magna talem eius motum discretum impedire posset, quod planè repugnare videtur virtuti limitatæ quantumvis excellenti, ut magis mox patebit explicando rationem Scoti. Respondet Suarez, & Amicus, quod si hæc perfectio non repugnat Angelo ex natura sua, sed tantùm ex voluntate Dei, & ordinatione divina; cùm de tali ordinatione divina nobis non constet, non est cur illa perfectio de facto denegetur Angelo, quia gratis, & sine fundamento dicitur Deum hunc ordinem instituisse, & præscripsisse Angelo. Hæc impugnatio procedit ex non recta Scoticæ rationis intelligentia, quandò namque inquit Doctor talem ordine transeundi ab extremo in extremum per medium, quando non fuerit participans, esse à Deo etiam Angelis præscriptum; non ita intelligit quasi talis institutio sit veluti lex quædam positiva Dei manans omninò à libera Dei voluntate, ut Suarez intendere videtur; Sed intelligit talem ordinem esse à Deo præfixum attentis rerum naturis, ut constat ex exemplo, quod adduxit de ordine formarum naturalium sibi ordinatè succedentium in generatione naturali, qui determinatus à Deo, ut ab instituente naturam, atque ideò respectu cujuslibet agentis naturalis necessarius est; sic igitur inquit Scotus esse à Deo præfixum ordine etiam Angelis ipsis circa transitum per spatium continuum, & per partes universi, ut nequeant transire in extremum distans sine transitu per medium; nimirum quia sic exposcit & talis distantia extremorum per medium interiectum non participans, & natura ipsa Angeli limitata, & finita, quæ proindè capax non videtur, ut possit pro libito in hoc instanti esse hic, & in sequenti in Cœlo empyreo, aut etiam in loco infinitè distanti se collocare.

106 Cùm verò addit Suarez talem ordinem esse quoque Angelis à Deo præfixum nobis non constare neque per revelationem, neque per effectus, neque per experimentum aliquod; dico, quod quamvis non videamus substantiam ipsam Angeli in suo motu, & ob id ex tali effectu nequeamus immediatè propositum indagare; attamen aliundè id indagamus ex his, quæ videmus contingere in aliis creaturis; etenim ut optimè discurrit Arriaga *loc. cit.* quandò aliundè non habemus argumentum urgens, vel à ratione, vel ab experientia desumptum, vel ab auctoritate; debemus discurrere de his, quæ non videmus ioxta ea, quæ videmus; Vndè cùm de motu Angeli ab extremo in extremum distans non transeundo per medium nullum habeamus indicium, nullam inter ipsum, & alias creaturas disparitatis rationem; non enim talis transitus sine medio est impossibilis corporibus præcisè ratione quantitatis, sicut nec necessitas transeundi per medium provenit ex ratione quantitatis præcisè, sed ex conceptu substantiæ creatæ, ut sic; & denique cùm nullam ullius momenti auctoritatem habeamus, quæ in hoc puncto aliter nos cogat discurrere de quantitate, quàm de Angelis; & aliis rebus spiritualibus, vero similius est dicere Angelum prædicto modo se movere non posse, unde totus Suarez discursus in ipsum retorquetur. Addit Arriaga, quod estò nullam circa hoc habeamus revelationem, attamen si Dæmoni licet credere certè motum ad loca tam dissita in instanti facere nequeunt, neque corporibus, quæ movent, tales ubicationes tribuere, sed debent necessario per medium transire, sæpè enim id fassi sunt in energumenis; Nec respondere valet dæmones in primam peccati esse tardiores, nam, ut aiunt Theologi, naturalia in ipsis integra emanserunt, atque ideò naturalis eorum activitas non est per peccatum ablata.

107 Ex dictis verò patet rationem Scoti, quam Recentiores impugnant, esse illam eandem, quam posteà ipsi quoque adhibent, etenim Suarez *c. 19. cit.* in fine id probat sententiam, quam nobiscum tenet, ut probabiliorem, quia si Angelus posset sic moveri ad locum remotum sine transitu per medium, posset simul mutationem facere ad quamcumque distantiam sine ullo termino, seu in infinitum, quod superare videtur virtutem potentiæ motivæ finitæ; sic etiam probat Amicus *sect. 4. cit. nu.* 58. quia si posset Angelus transire de extremo ad extremum sine medio, id posset ad quamcunque distantiam, quod licet (inquit) concedat Bannes est tamen contra limitatum modum operandi substantiæ finitæ; quam propter eandem rationem non potest Angelus etiam ipso fatente esse in duobus locis distantibus simul, cuius vix potest solida ratio discriminis afferri; Sed quis non videt hanc esse ipsam Scoti rationem, quam suprà urgebat ex virtute finita, & limitata Angeli, dùm dicebat, *quod Angelus, dum se movet per corpora, quorum est talis ordo, non potest absque omni ordine ac quocumque Vbi facere se in quodcunque Vbi immediatè, tunc enim nulla distantia videretur impedire actionem ejus*, patet ergo rationem Scoti, quam impugnant, esse illam eandem, quam posteà adhibent, & approbant; & valdè probabiliter prosequitur, & declarat Arriaga cit. quia potestas (inquit) se movendi in instanti ad locum distantem, licet non dicat infinitam perfectionem, atque ideò non implicet esse Angelo communicatam, nec fortè repugnet alicui creaturæ divinitus possibili; nihilominus magna nimis, & excedens perfectio videtur posse pro suo libito in hoc instanti esse hic, & in sequenti in Cœlo empyreo, aut etiam in loco infinitè distanti se collocare; cur ergo sine fundamento, sine ulla necessaria ratione, vel urgenti auctoritate hanc tantam perfectionem debemus Angelo nos de facto tribuere? Forte eam aliquis habebit, sed quamdiù nos non possumus id conjectare, connaturalius, & consequentiùs discurrimus id eis non concedendo; Quamvis autem Thomistæ putent se facilè hanc evadere rationem, quoniam dicunt Angelum non esse in loco, nisi per operationem, atque ideò cùm possit operari in extremo non operando in medio, poterit consequenter transire de extremo in extremum sine medio; Re tamen vera eam non evadunt, tùm quia falsum supponunt, etenim Angelus non tantùm est in loco per operationem extrinsecam receptam in loco, sed etiam per substantiam intrinsecam loco præsentem, ab eoque indistantem; tùm etiam quia hoc adinisso, adhuc ratio urget, quod si Angelus habet limitatam virtutem, sic etiam determinatam sphæram suæ actionis habere debebit, atque ideò eam promovere non poterit in locum quantumcunque distantem in infinitum incathegorematicè, licet gratis id concedat Io. de S. Thoma *loc. cit.*

Sed difficilior adhuc est instantia, quam sibi ipsi obiicit Doctor *loc. cit.* contra præfatam rationem, ac promovet Vasquez retorquendo illam contra Scotum hoc modo; si ordo partium in medio servandus est, cur non debet servari ordo ille medii participantis extrema, siquidem ille prior est, quàm medii non participantis, ergo videtur hæc ratio primam destruere conclusionem; Respondet Doctor lit. D. quod non quia pertransiendo ab uno Vbi immediatè ad aliud Vbi in instanti habet omnia ista Vbi ordine quodam naturæ, inter quæ est ordo potentialis ex natura rei, sed non oportet, quod habeat ea ordine durationis; si autem transiret à distanti in distans absque ordine omnimodo, tunc nec ordine naturæ, nec ordine durationis haberet illa, quorum est ordo naturalis, circa quæ tamen operatur supponens necessario ordinem eorum. At replicat Vasquez id minimè satisfacere, quid enim aliud esse potest habuisse ista omnia media ordine naturæ, & non ordine durationis, quàm ità de extremo ad extremum transisse, ac si in illis re vera fuisset, & per illa transisset; hoc autem idem dici potest, etiamsi fieret transitus in medio non participanti, quare ratio Scoti, inquit in ipsum recè converti potest, si enim ordo ille non obstat in extremis habentibus medium communicans, neque obstabit in extremis habentibus medium non communicans.

Rada negat hanc rationem oppugnare primam conclusionem, quia illa non concedit absolutè, quod Angelus possit ab extremo ad extremum transire, quin transeat per medium, sed solùm quod id potest absque transitu successivo; unde colligit quod Angelus motu propriè dicto non potest transire ab extremo in extremum, nisi per medium, quocunque modo medium sumatur; Nec potest transire de uno extremo in aliud etiam mutatione instantanea, nisi transeat per media Vbi, itaquod saltem prius natura transeat per media Vbi, quàm sit in extremo loco, quia agentibus creatis hic ordo est à suo auctore impositus, undè mobile pertransiendo ab uno Vbi immediatè ad aliud Vbi in instanti habet omnia illa Vbi ordine quodam naturæ; Ex quibus tandem deducit, quod nullo modo potest Angelus transire ab extremo in extremum, quin transeat per medium, itaquod vel ordine naturæ, vel durationis habeat illa Vbi, sic ut sit prius natura in uno, quàm in alio, vel prius tempore; & sic adamussim discurrit quoque Brancatus *quæst. 4. cit. num.* 29. Verùm hi Scotistæ sic discurrendo recedunt ab eo, quod statuerat Scotus in prima conclusione, in qua absolutè dixerat lit. B. quod loquendo de motu indivisibili potest Angelus pertransire ab extremo in extremum immediatum non transeundo

secundo per medium, quod est participans, & aliquid utriusque extremi; etenim modò ad evitandum difficultatem propositam dicunt, quod nullo modo potest Angelus transire ab extremo in extremum, quin transeat per medium, sivè hoc sit participans, sivè non participans, itaut prius esse debeat in medio, quam sit in extremo vel prioritate temporis, vel saltem naturæ.

109 Hinc Faber *disp.* 22. *cit. c.* 1. in fine præfata explicatione Scotistarum non contentus ad evadendam propositam difficultatem alio modo adhuc rem explicat dicens, quod quando extrema ità distant, ut medium causans distantiam sit aliquid eorum, transitus non excedit vires Angeli, idcircò potest ab uno in aliud fine medio transire; quando verò medium ponens distantiam nihil est extremorum, transitus excedit vires Angeli, idcircò fieri debet in tempore per loca media; quod hoc declarat exemplo, ponatur quod inter Mediolanum, & Romam medium per participationem extremorum sit Bononia, intercedit enim recta linea inter Mediolanum, & Romam, Constantinopolis verò sit Medium per abnegationem extremorum, quia non est verè medium inter Mediolanum, & Romam, tunc Angelus moveri potest in instanti Mediolano Romam per Bononiam, quia licet inter hæc extrema non servet ordinem durationis existendo prius tempore Bononiæ, quod est medium, tamen servat ordinem naturæ existendo in illo medio prius ordine naturæ, quam in extremo, at non potest moveri Mediolano Romam per Constantinopolim, quin prius tempore sit Constantinopolis, quia si ità moveretur in instanti, tunc nullo modo servaret ordinem à Deo præfixum inter illa extrema, non quidem durationis, quia supponitur moveri in instanti, nec ordinem naturæ, quia Constantinopolis non est medium ex natura rei in transitu Mediolani Romam.

Verùm hæc expositio medii participantis, & non participantis nimis grossa, & materialis est, quia quando medium non est extremis compactum modo explicato *n.* 100. tunc dicitur medium non participans, sivè inter extrema interiaceat linea recta, sivè transversalis; quia re vera nihil est extremorum; quare cùm Doctor asserat, quod loquendo de tali medio, nequit fieri transitus ab extremo in extremum sine transitu per medium nec in tempore, nec in instanti, & cùm Bononia sit tale medium inter Mediolanum, & Romam, quia nihil ex eorum partibus participat; falsum omninò est in sententia Doctoris posse Angelum in instanti Mediolano transire Romam priusquam sit Bononiæ ordine durationis; Tum quia, inquit Doctor, quod quando Angelus movet se per corpora, quorum est talis ordo nempè per medium interiectum, quod non est aliquid extremorum, non potest absque ordine durationis de quocunque Ubi facere se in quodcunque Ubi immediatè, tunc enim nulla distantia videretur impedire actionem eius; ergò de mente Doctoris magna, & excessiva distantia inter extrema poterit actionem eius impedire, ac motum instantaneum obstante limitata eius virtute, sivè talis distantia designetur per lineam rectam sive per transversalem; ergò hæc Fabri expositio est omninò abs re, concedatque Thomistis quicquid volunt, quod possit Angelus moveri de loco ad locum quantumcunque distantem etiam in infinitum sine transitu per medium, dummodo talis distantia designetur per lineam rectam, quod certè Scotus nunquam concessit.

Lichetus tandem dicit hanc rationem Scoti non oppugnare quod dictum est in prima conclusione, quia in ea absolutè non negat Scot. Angelum per medium transire participans ex extremis, sed tantum quod illud non pertransit prius ordine durationis, quam perveniat ad extremum, sicut opus est pertransire, quando medium non est participans; cum hoc tamen stat, quod adhuc etiam illud pertranseat ordine naturæ, quia cum instanti temporis stat ordo naturæ, ità quod quando medium est participans, licet opus non sit, quod Angelus prius tempore illud pertranseat, quàm ad extremum perveniat, sicut opus est de medio non participante adhuc tamen necesse est; quod illud quoque prius pertranseat, saltem prioritate naturæ, quæ stat cum simultate temporis, ut dicatur servare ordinem à Deo præfixum in transitu per spatium continuum. Hæc responsio licet melior sit cæteris, & magis ad intentionem Doctoris, adhuc tamen non satisfacit replicæ Vasquez, cum dicebat, quod aliud esse non potest in casu primæ conclusionis, quando medium est participans, habuisse Angelum in illo transitu omnia illa media ordine naturæ, & non ordine durationis, quàm ità de extremo ad extremum transisse, ac si in illis re vera fuisset, & per illa transisset, & hoc idem dici posse, etiamsi fieret transitus per medium non participans in casu secundæ conclusionis.

Ut igitur responsio Doctoris ad propositam difficultatem benè intelligatur, & replica Vasquez excludatur, recolendum est, quod diximus *disput.* 15. *Phys. nu.* 6. 9. & in hac ipsa quæstione in fine adnotavit quoque Vulpes, & Scot. ipse docet in illa sua responsione; quod ordo naturæ inter extrema habentia medium communicans est tantùm potentialis, ordo verò inter extrema habentia medium non communicans est actualis; ratio est, quia medium non communicans, seù ex ipsis extremis non compactum, actu reperitur inter illa extrema, & actu facit illa quantitativè distare, ut patet de quantitate tripalmari, in qua palmus medius actu reperitur interpositus inter primum, & tertium palmum, & facit illum distare ab isto per unum palmum; medium verò communicans, quia non assignatur per divisionem secundùm partes æquales, & determinatas, sed tantùm proportionates, & indeterminatas, non facit, actu distare extrema, inter quæ versatur, ut suprà explicatum est *num.* 100. de spatio, vel quantitate bipalmari, nam inter utrumque palmum designari potest palmus medius communicans, idest ex semipalmo utriusque compactus, imò non ille solus, sed plura, & plura in infinitum procedendo per partes proportionales utriusque palmi; & quia tales partes non dicuntur esse ibi actu, sed potentia, quia sunt indeterminatæ, sic & medium ex illis constitutum dicitur inter illa mediare, non actu, quia non est quid determinatum, sed potentia, & consequenter nec actu illa extrema facit distare, atque hac ratione ordo naturæ inter illa extrema dicitur potentialis tantùm, non actualis.

Itaque Scot. ait, quod si Angelus moveatur ab extremo ad extremum per medium non participans ex eis, necessariò debet illud præhabere, priusquam ad extremum perveniat, nedum prioritate naturæ, sed etiam durationis, quia mirum tale medium actualiter mediat inter illa extrema, facitque actu illa distare; at si moveatur ab extremo ad extremum, inter quæ designetur medium participans, dicetur tantùm habere illud prius ordine naturæ, non quidem actuali, & positivo quia non actu mediat inter illa, ut quid determinatum, nec actu facit illa distare, sed tantùm potentiali, & negativo, eo modo, quo ait Doctor 4. *dist.* 3. *q.* 1. E. privationem ordine naturæ semper præcedere formam, non quidem positivè semper, quia si forma crearetur simul cum materia, tunc prius forma inesset materiæ, quam privatio, sed ordine naturæ negativo, quatenus si materia ab agente extrinseco formam non haberet, de se haberet privationem; sic, inquam, in proposito quando inter extrema designatur medium non participans, debet Angelus in transitu ab extremo in extremum servare ordinem actualem inter illa tam naturæ, quàm durationis; hoc est prius natura, & duratione existere in illo medio, quàm in extremo; at quando designari potest medium duntaxat participans, & ex illis compactum per divisionem partium proportionalium, sicut inter illa extrema non reperitur ordo naturæ actualis, & positivus, sed tantùm potentialis; ità non dicitur esse prius in medio, quàm in extremo, prioritate naturæ actuali, sed potentiali, eo modo, quo privatio dicitur in materia præcedere natura formam etiam illi concreatam, non quidem actualiter, & positivè, sed potentialiter, & negativè; quatenus si tale medium participans designaretur inter illa extrema, ut quid determinatum, prius natura actualiter deberet Angelus in eo existere, quàm in extremo; Et in hoc eodem sensu, quando mobile motum inchoat per partes determinatas, dicitur quidem actualiter prius transire hanc partem determinatam proximiorem, quàm remotiorem; proportionales verò, quia sunt indeterminatæ, ac infinitæ sincathegorematicè, in proximiori determinata contentas dicitur prius transire potentialiter tantùm, non actualiter, quia non actu eas designat per motum; Et hinc patet ad instantiam Vasquez, cur ordo inter extrema habentia medium non participans obstet, ne fiat transitus ab uno in aliud, nisi per medium; non autem ordo inter extrema habentia medium communicans, & participans, quia nimirum ordo ille est actualis, & positivus, hic autem potentialis tantùm, & negativus.

110

ARTICULUS SECUNDUS.

Soluuntur Obiectiones.

111 IN oppositum obiicitur Primò commune, & præcipuum fundamentum Thomistarum; Angelus nullo modo dependet à loco, seu spatio, in quo est, aut per quod movetur, nec est alligatus ad leges illius, nec subordinatur illi, sed est in ipso, & movetur per ipsum, ut dominans ipsi, & subdens suæ voluntati; ergo potest moveri non transeundo per medium; probatur consequentia, quia propterea corpus non potest hoc facere, quia ex opposito subditur legibus, & conditionibus loci, seu spatii ex eo, quod commensuratur ipsi. Cons. quia Angelus non est necessariò in loco ut etiam Scot. concedit 2. *dist.* 2. *q.* 6. I. cùm possit se eximere ab omni loco; ergo necessariò non est in medio loco; consequentia patet, quia plus est se posse eximere ab omni loco, quam à loco medio inter duo extrema; Demum nimis detrahitur velocitati Angeli dicendo non posse transire ab extremum sine medio, est enim velocissimus in suo motu, & nullam habet resistentiam in medio, ergo poterit in instanti se movere in distans.

Resp. concedendo Angelum non pendere à conditionibus loci circumscribentis, atque ideò posse moveri in instanti ab extremo ad extremum non pertransito medio participante, quod nequit facere corpus dependens à talibus conditionibus; quia tamen adhuc dependet à conditionibus loci definientis, quia est in loco definitivè, dependet ab eius legibus, juxtà quas tenetur ordini præfixo à superiori agente, ut non transeant de loco ad locum distantem, nisi transeundo per spatium intermedium non participans sive intrà, sive extrà propriam sphæram, ut dictum est *n.* 105. & 107. quia enim est in loco definitivè, & sic præsens certo loco adæquato, sicut corpus circumscriptivè, ideò cùm relinquit præsentiam prioris loci, non potest fieri præsens locis distantibus, nisi prius fiat præsens locis intermediis. Ad 2. negatur assumptum, omnes namque substantiæ spirituales sunt necessariò in loco, solo Deo excepto, qui potius esse cum loco dici debet ratione suę immensitatis, quam esse in loco, vel contineri à loco, ut ex professò docui *disp.* 11. *Phys. q.* 4. *ar.* 2. & est expressa Augustini doctrina *tom.* 1. *lib.* de Immortalitate animæ *c.* 1. dicentis, quod est, alicubi est, quia est, quod autem non est, nusquam esse potest; quo autem sensu dixerit Scot. *loc. cit.* Angelum non esse necessariò in loco actu declaratum est *disp.* 11. *cit. n.* 61. deindè aliud est loqui de existentia Angeli in loco, aliud verò de eius motu de loco ad locum; potest enim concedi Angelum existere posse simul in pluribus locis discontinuis intra suam sphæram non existendo in medio, & adhuc negari, quod possit moveri de loco ad locum distantem sine transitu per medium, quia ex hoc sequeretur aliquod absurdum, quod non sequitur ex illo, ut mox dicemus. Ad ultimum nihil prorsus concludit, quia in ipso argumento supponitur Angelum transire per medium, alias frustrà diceretur medium non impedire eius velocitatem; tum quia eius velocitas adhuc ex multis aliis capitibus apparere potest etiam isto secluso.

112 Secundò obiicitur; quia in eo motu non transeundo per medium nulla videtur esse repugnantia, nam saltem à Deo fieri potest, ut patet de adductione corporis Christi sub speciebus Sacramentalibus; neque sequitur aliquid excedens capacitatem naturæ, quia ad eum effectum non est necessaria virtus infinita motiva, nec hoc potest aliquo modo probabiliter ostendi; ergo non est, cur negetur virtuti naturali Angeli; Tùm etiam, quia in substantia spirituali non est ponenda tanta dependentia à præsentia in spatio continuo, quanta est in corporibus; Tùm denique, quia hoc videtur consentaneum Patribus dicentibus Angelos subito, ac summa celeritate posse, ubi voluerint, adesse, & hæc est ratio, quam censet probabiliorem Suarez *c.* 18. pro opposita sententia.

Respondeo ex eodem Suarez *c.* 19. in fine, ubi probabiliorem reputat nostram sententiam; quod non omne id, quod non implicat contradictionem circa locum Angeli, vel acquisitionem eius, tribui debet virtuti naturali Angeli; nam negant quamplures posse Angelum naturaliter esse in duobus locis discretis inadæquatis etiam intra propriam sphæram, quamvis fateantur non implicare contradictionem; licet ergo in hoc genere mutationis Angeli de extremo in extremum distans sine transitu per medium, non reperiatur aperta repugnantia, difficilimè tamen à nobis percipitur, & ideò videtur superare modum agendi naturalem cuiuscunque creaturæ, & consequenter non esse possibilem talem mutationem per potentiam Angeli naturalem; addit ulterius, quod si Angelus posset sic moveri ad locum remotum sine transitu per medium, posset simul mutationem facere ad quamcumque distantiam sine ullo termino; ut arguebat Scotus *loc. cit.* quod videtur superare virtutem potentiæ motivæ finitæ. Accedit quod suprà dicebamus *nu.* 107. quod quando etiam ea virtus se movendi in instanti ad locum remotum sine transitu per medium non diceret infinitam perfectionem, nihilominus adeò magna est, ut sine urgenti ratione, aut evidenti auctoritate non sit Angelis tribuenda; quamvis enim magna quoque sit naturæ Angelicæ excellentia adhuc tamen finita est, ac limitata, neque id Angelis negando tantam dependentiam substantiæ spiritualis tribuimus à præsentia in spatio continuo, quanta est in corporibus; adhuc enim perfectiori, & excellentiori modo potest Angelus spatium continuum percurrere, quo non potest corpus, ut constat ex prima conclusione, quod etiam sufficit ad salvanda omnia dicta Patrum de velocitate Angelici motus.

Tertiò, corpus Christi in Cælo existens quotidiè perducitur ad hostias consecratas, & tamen non pertransit medium; ac totus sanguis, ex quo Christus formatos est in utero Virginis, uno instanti confluxit ad locum conceptioni destinatum, & idem Christi corpus de utero Virginis transiit extrà absque transitu per medium, ergo idem dici poterit de Angelo. Quod si dicas hæc facta fuisse per divinam potentiam; Contrà, quia ad hoc non desunt quoque exempla ex naturalibus deducta, nam Sol illuminat partem distantem in instanti, & anima intellectiva informare potest partes extremas corporis dispositas absque quod informet partes medias dispositas; & Angelus ipse potest naturaliter existere simul in pluribus locis discontinuis intra sphæram suam non existendo in medio eorum, ut nos quoque concessimus *disp.* 11. Phys. *nu.* 119. ergo idem dici poterit in proposito, quia Angelus maiorem habet virtutem, & efficaciam ad movendum se localiter, quam Sol ad illuminandum aeris partem distantem, & anima ad informandum extremas partes corporis indispositas.

113

Respondeo ad prima exempla negando paritatem, quia & Christus adducitur de Cælo ad species sacramentales mutatione locali instantanea virtute divina, & eodem modo sanguis virginalis confluxit in instanti ad virginis uterum, non quidem mutatione includente totam realitatem motus, sed solam ultimam realitatem termini motus modo declarato *n.* 101. quando verò Christus nascendo transiit per uterum B. Virginis, verè transiit per medium facto penetrationis miraculo, sicut etiam per medium transiit, quando è sepulchro resurrexit, & ad discipulos ingressus est januis clausis; Ad alia verò exempla ex naturalibus deducta negatur etiam paritas, ad illud enim de illuminatione iam diximus *disput.* 11. *cit. n.* 66. ex Scoto in hac *q.* ad 2. quod quando agens est tantæ virtutis, quod respiciat totum passum, tanquam terminum indivisibilem, & formam secundùm ultimum gradum, potest formam illam in instanti introducere, ut est de illuminatione; at in aliis motibus non ità evenit, qualitates enim contrarium habentes non respiciuntur ab agente, ut formæ indivisibilęs propter resistentiam contrarii, nec agens habet illas secundùm ultimum gradum statim, sed ordinatè, propter eandem rationem in motu locali dimensio medii est causa suæ successionis, quia ordo præfixus est à superiori agente in ipsa rei natura fundatus, ut non perveniatur ad extremum, nisi transeundo per medium, & quia non potest idem simul esse in medio, & in extremo, alioquin esset simul naturaliter in pluribus locis adæquatis, hinc non respicitur illa spatii dimensio à virtute motiva tanquam aliquod indivisibile, ut fit illuminatione; ex qua non sequitur illud absurdum, quia lumen secundùm eandem partem non est in toto spatio, sed secundùm diversus.

Ad aliud exemplum de animæ informatione negatur etiam paritas, quia in eo casu non diceretur anima, arescente media corporis parte, moveri ad informandos pedes, sed remanens, ut prius erat in pedibus, medias corporis partes indispositas informare desineret, undè informaret partes extremas non per novum motum, sed per antiquam informationem; quare hæc instantia ad summum concludere potest, Angelum esse posse simul in extremis absque eo, quod simul existat in medio, non autem quod moveri possit ab uno in aliud sine transitu per medium. Ad ultimum exemplum, negant quamplures illud esse possibile per virtutem Angeli naturalem, imò ex impossibilitate illius deducunt impossibilitatem istius, quia sicut Angelus in statu non potest esse divisus, & separatus naturaliter à seipso localiter itaut sit in extremis non existendo in medio, ità neque potest in motu separari à seipso, itaut moveatur ab extremo in extremum sine transitu per medium; Neque *disput. cit.* Phys. hoc ut certum asseruimus, sed sub dubio reliquimus, eo quod nobis non videretur afferri posse ratio necessaria pro, vel contrà; quando tamen illud admittetur, tunc rursus negandа est paritas, quia ut dicebamus ad exem-

exemplum præcedens de anima, aliud est loqui de existentia Angeli in loco, aliud de motu ejus ad locum distantem; potest itaque asseri posse quidem Angelum naturaliter existere in extremis locis discontinuis intra propriam sphæram non existendo in medio, absque eo, quod cogamur asserere posse pariter moveri de extremo in extremum non transeundo per medium; quia rationes probantes posse Angelum esse in extremis locis inadæquatis, & discretis intra propriam sphæram, non probant posse pariter sic existere in pluribus locis extrà propriam sphæram, ut constat ex dictis *disp.* 11. *circ. num.* 117. at in proposito illa ratio, quæ probat non posse Angelum transire ab extremo in extremum distans extra propriam sphæram, probat pariter neque id posse intra suam sphæram, quia indè sequeretur eodem modo posse Angelum se movere ad quamcumque distantiam etiam extra suam sphæram, ut constat ex fundamento nostræ conclusionis.

114 Quartò, Angelus potest se mutare ad libitum subito, & in instanti de loco ad locum, ergo etiam se mutare potest de loco ad locum distantem sine transitu per medium; antecedens probatur, quia virtus motiva Angeli non habet resistentiam in actione, qua ipsum movet, & ideò subitò mutationem potest efficere, sicut in simili de motu per vacuum arguit Arist. 4. Phys. Consequentia etiam probatur, quia si oporteret transire per medium, non posset in instanti pertingere ad extremum; Conf. quia hac eadem ratione Angelus existens Venetiis potest in se producere Vbi Romanum non productis sibi Vbi intermediis, ergo poterit Venetiis transire Romani non pertransitis locis intermediis. Respondeo antecedens non esse universaliter verum, sed tantùm indefinitè, quatenus potest subitò transire ad locum propinquum, & immediatum, ut constat ex prima conclusione; & ideò negatur sequela, neque probatio antecedentis valet, sicut neque illa Aristot. 4. Phys. sufficienter probat motum corporis in vacuo, quia etiam ipsa extremorum distantia suo modo resistit, ut notavit Doctor 2. *dist.* 2. *qu.* 9. immò in illa probatione supponitur Angelum transire per medium, alias frustrà diceretur medium non impedire virtutem motivam Angeli, ut dictum est *num.* 11. in fine. Ad Confirm. negatur antecedens, in quo manifestè peritur principium, quia in eo sumitur, quod probandum est, posse, scilicet Angelum in instanti transire eb extremo in extremum distans sine transitu per medium, negatur (inquam) antecedens, alioquin Angelus hic existens posset in se producere quodlibet Vbi in quacumque distantia, eo enim ipso, quod conceditur posse Angelum se movere de uno loco ad alium distantem sine transitu per medium, non est major ratio, cur ei obstet medium, vel intercapedo unius leucæ, quàm centum, & mille, æquè enim haberet omnia media pro non mediis, & quecunque oblemen pro non ordine.

Sed instat Arriaga; in priori naturæ instanti, quo Angelus Pragæ v. g. se movet à ponte ad spatium immediatum, tam non est approximatus illi spatio, quam non est proximatus spatio, quod est immediatum ponti Romano, quia in eo priori adhuc in eo nulla est ubicatio, sine ubicatione verò non est propria ad ullum corpus localis approximatio, ergo in eo instanti reali tam poterit se ponere juxtà pontem Romanum, quàm juxtà Pragensem, aut è contrario Hoc argumentum valdè difficilè æstimat Arriaga, sed vel vim ejus non penetro, vel in eo certè tantum mysterium non deprehendo, & si quid concluderet, militaret quoque in corporibus, ut ipse benè advertit; negatur itaque antecedens, quia eo ipso, quod occupat pontem Pragensem proximior est spatio illi immediato, quam spatio immediato ponti Romano, quia est in parte viciniori illi, quàm isti; sicut corpus occupans spatium A antequam occupet spatium B, & C invicem ordinata, licet in eo priori naturæ, antequam ad hoc, vel illud moveatur, careat ubicationem utriusque non debet dici æquè indifferens ad utramque, sed dici debet magis applicatum, determinatum ad occupandum spatium B, quàm spatium C, quia spatium A, quod actu occupat proximius est, & vicinius spatio B, quàm C, nec aliud mysterium in hoc video, & hoc idem suo modo dicendum est de Angelo servata proportione, quod ejus existentia in tali parte spatii disponit eum, ac magis applicati, ut sit in alia parte viciniori, & proximiori, quam remotiori.

115 Quintò speciliter arguit Nazarius *loc. cit.* contendens ex prima conclusione à Scoto posita convincere intentum: nam Scotus in ea concedit Angelus posse moveri in instanti à primo extremo ad secundum mutatione non includente totam realitatem motus, sed includente realitatem termini motus, idest post moveri à primò puncto prioris extremi ad ultimum punctum posteriori non pertransiendo durationis ordine spatia intermedia inter primum punctum prioris, & ultimum posterioris, sed ordinem naturæ tantùm, quia scilicet poterat Angelus omnia illa habere media; at eodem modo scilicet ordine naturæ transire potest Angelus media non participantia; igitur eadem ratione transire poterit Angelus ab extremo ad extremum absque medio non participante. Confirmatur, quia vel Angelus dùm ab uno extremo loco sibi adæquato transit ad alium simul utrumque contingit, vel prius unum attingit, & posterius alterum; non primum, ut ibi probat variis combinationibus; si secundum, æquè poterit Angelus per media non participantia transire secundùm ordinem tantùm naturæ, sicut per media participantia, quia non minus illa, quàm hæc potest habere successivè.

Resp. in primis non benè explicari ab arguente ad mentem Scoti quodnam sit medium participans, per hoc enim intelligit Doctor illud, quod ità mediat inter extrema, ut sit compactum ex illis, tanquam aliquid utriusque, idest ex parte unius, & ex parte alterius constitutum, ut explicuimus suprà *num.* 100. exemplo spatii bipalmaris; spatia igitur intercecta inter primum punctum prioris extremi, & ultimum punctum posterioris nequeunt dici medium participans inter utrumque punctum, quia cùm punctum sit indivisibile, nequit ex parte unius, & ex parte alterius esse compactum; Deindè jam *num.* 110. explicatum est, quomodo intelligat Doctor, quod possit Angelus moveri in instanti ab extremo in extremum non transeundo prius media communicantia ordine durationis, sed tantùm naturæ, quod nequit facere, cùm media sunt non communicantia; in hoc enim sensu intelligit, quod haberet ordine quodam naturæ omnia illa ubi intermedia, non actu accipiendo illa, sed potentia, sicut nec actu mediant; at si moveretur ab extremo ad extremum per media non communicantia, necessariò deberet haberet illa actualiter, sicut actualiter mediant, & consequenter ordine durationis servato, quia non potest simul pluta habere Vbi adæquata; quare ad argumentum negatur minor, quod eodem modo, scilicet ordine naturæ tantum servato possit Angelus transire media non participantia, sicut transit participantia; quia transeundo media non participantia debet actu habere illa, sicut actualiter mediant, & non potentia tantùm, & consequenter ordine durationis servato.

Ad Confirmationem, si sermo sit de ordine durationis, nec prius unum extremum contingit, quàm aliud, quia transit in instanti, nec simul utrumque contingit, sed in eodem instanti totaliter deserit primum extremum, ubi erat, & totaliter acquirit aliud extremum illi immediatum, ut dictum est *n.* 102. itaut dicere valeat, nunc primo est in hoc termino, seù extremo, immediatè anteà erat in alio; si verò sit sermo de ordine naturæ, sic dici potest prius natura respicere medium, quam extremum, non quod actu prius attingat illud, quam extremum, sed quatenus si tale medium participans designaretur inter illa extrema, ut quid determinatum, prius natura actualiter deberet Angelus in eo existere, quàm in extremo, ut dictum est *num.* 110. Vndè falsa est illa explicatio Scoti, quam ex Albertino adducit arguens, quod quando dixit Doctor Angelum in instanti transeuntem ab extremo ad extremum immediatum servare ordinem naturæ, id in eo sensu intellexerit, quia poterat Angelus illa media communicantia habere successivè, undè posteà deducit arguens, quod æquè poterit Angelus per media non participantia transire secundùm ordinem naturæ tantùm, sicut per media participantia, quia nō minus illa, quam hæc potest habere successivè. Sed Doctor ità intelligit Angelum ab extremo ad extremum immediatum transeuntem servare ordinem naturæ potentialem, quatenus si tale medium participans actu designaretur inter illa extrema, ut quid determinatum, deberet illud prius pertransire, & ordine actuali naturæ servato, & pariter ordine durationis; undè cum inter extrema distantia medium non participans sit actu designatum, & actu faciat extrema distare, & non potentia tantùm, non sufficiet Angelo servare ordinem naturæ tantùm, sicut sufficit, quando transit de extremo ad extremum immediatum, & indistans; sed tenetur servare ordinem nature actualem, & positiuum, ac insuper ordinem durationis ob rationes adductas pro secunda conclusione, ex quo patet Nazarium in hoc puncto non satis esse mentem Scoti assecutum.

Sextò arguit Io. de sancto Thoma *disp.* 20. *art.* 4. primo à priori 115

priori ex indivisibili modo essendi in loco Angeli proprio, ut distinguitur à corpore, quo æquè primò, & simultaneè potest comparari ad plures corporis partes, si enim potest simultaneè; & indivisibili modò pluribus corporis partibus se applicare non tenetur paulatim partes spatii acquirere, & alias deserere; ergò potest simul totum spatium, quod occupat deserere, & simul totum aliud acquirere, & consequenter potest præsentiam suam adhibere partibus, seu spatio distanti, & non coniuncto illi, quod anteà occupabat, undè enim talis obligatio provenit Angelo, si nullo modo continetur à loco, nec subiacet illi, sed potest indivisibiliter, & simul totum, locum, quem habebat deserere, & alium occupare? Deindè arguit à posteriori, quia Angelus occupans totam magnitudinem suæ sphæræ, potest in minori se ponere, & alias partes relinquere, & è converso; hoc autem non facit Angelus per contradictionem, aut dilationem suæ substantiæ, sed per indivisibilem contactum suæ præsentiæ, quo potest indivisibili modo nunc plures, nunc pauciores partes suæ sphæræ tangere; ergò in retrahendo, vel dilatando suæ substantiæ præsentiam non dependet à partibus intermediis alias non posset vnico, & indivisibili modo ab illis partibus se retrahere, vel ad illas extendi, nisi prius partes intermedias paulatim ingrederetur, vel egrederetur, quando minus spatium occupat illo, quod anteà occupabat, quàm è contrà. Tandem arguit *n.* 22. hinc non sequi virtutem activam infinitam in Angelo, aut valdè excedentem vires eius naturales, quia tales transitus, & applicatio ad locum distantem non transeundo per medium non participans non fundatur in maiori virtute motiva, & activitate, qua potest circa maius passum, vel minus operari; sed fundatur in omnimoda independentia, & superioritate à commensuratione loci, quod omnibus Angelis, & spiritibus commune est, inquantùm sunt formæ activæ immateriales nam ad vincendam dependentiam à locis intermediis, ut transeatur ad extremum nihil conducit velocitas, vel activitas virtutis, sed hæc solùm servit, ut distantia illa pertransetur breviori tempore; ad hoc verò ut nullo modo pertransetur, velocitas, seù activitas nihil conducit, sed solùm indepen dentia à commensuratione loci, à qua Angelus est omninò absolutus.

Respondeo per illum probari solùm, quod possit Angelus transire ab extremo ad extremum immediatum non transeundo medium participans, undè concesso antecedente, & primo consequente, negatur altera consequentia subillata, quod eadem ratione transire possit ad extremum distans non pertransito medio non participante; & ad probationem dicimus talem obligationem Angelo formaliter advenire ex eius limitatione, efficienter verò ex ordine præfixo à superiori agente; & negamus pariter Angelum nullo modo contineri à loco, eiusque legibus subiacere, nam continetur à loco definitivè, & dependet à conditionibus loci definitivi, licet non circumscriptivi. Ad secundum concesso item antecedente, ità tamen ut non negatur Angelum esse in loco per præsentiam propriæ substantiæ, & non per solam operationem tantùm, quam solent intelligere Thomistæ per contractum virtutis, distinguo consequens non dependet à partibus intermediis participantibus, concedo, non participantibus, nego, ad hoc etenim ut possit unico, & indivisibili modo, ab uno extremo se retrahere, & immediatè ad aliud extendi, sufficit ut id facere possit non pertransito medio participante, per quod distingultur à corpore, quod ratione suæ extensionis non ità potest se transferre ab extremo in extremum, ut patet ex conclusione prima.

Ad tertium negatur consequentia cum ejus probatione, nam certè talis virtus transferendi se ab extremo in extremum distans non pertransito medio fundaretur in maiori activitate, & virtute motiva Angeli, quia posset producere in se quodlibet Vbi in quacunque distantia, talis namque effectus independenter à virtute motiva Angeli concipi nequit, undè omninò irrationabile est negare talem effectum fundari in maiori virtute motiva, & activitate; quare cùm Angelus habeat determinatam sphæram activitatis suæ, ab ea impeditur ne possit se transferre de loco ad locum quantumcunque distantem in infinitum, aliter enim vel virtus ejus esset infinita, ut facilè deduci potest per maximam Scoticam 2. *dist.* 3. *q.* 10. quod ubi pluralitas dicit maiorem virtutem intensivè, infinita pluralitas arguit infinitam virtutem, vel saltem nimis excedentem vires naturales Angeli, quàm Angelo tribuere non debemus sine urgenti ratione, ac evidenti auctoritate, cùm potiùs oppositus ex Scripturis colligatur, ut constat ex eo, quod habetur Daniel. 10. ubi dicitur Princeps, idest Angelus custos regni Persarum restitisse Angelo, qui missus fuerat ad annuncianda futura Danieli, quod litteraliter intelligi nequit nisi in hoc sensu, quod ei transitum impediret per eam provinciam, quod utique Princeps regni Persarum facere non potuisset, si Angelus ad Danielem missus potuisset viribus suis de illo loco, ubi fiebat ei resistentia, migrare ad alium distantem, ubi erat Daniel sine transitu per medium; & tandem rursus negamus Angelum nullis loci legibus esse adstritum, nam si ità esset, qua ratione posset ob hanc omnimodam independentiam à loco pro sua voluntate applicare se corpori, cui voluerit, sine dependentia ab alterius distantia intermedia, posset quoque eadem ratione se constituere in duobus locis inadæquatis discontinuis, quod negat etiam ipse eadem *disp.* 20. *art.* 3. *n.* 21. esse naturaliter possibile nec intra propriam sphæram, nec extrà; nam ralis impossibilitas reduci nequit, nisi in aliquam dependentiam Angeli a loco, & quia non est omninò absolutus à conditionibus loci saltem definitivi.

Postremò alias insuper solent Thomistæ congerere rationes, quas meritò prætermittunt Lezana, & alii Recentiores oppositæ sententiæ, quia vel supponunt falsum, prout est illa petita ex eo, quod Angelus non est in loco, nisi per operationem; vel inefficaces, qualis est ea inde deducta, quod intellectus potest cognoscere res extremas v. g. colorem album, & integrum non cognoscendo colores medios, & cogitare de locis extremis non cogitando de mediis; siquidem adest patentissima disparitas, potest enim intellectus de cogitatione vnius objecti in aliud se transferre, quia hic transitus est intentionalis, & per species intelligibiles, quæ omnes sunt simul præsentes intellectui, non sic autem mobile transire potest de uno loco ad alium distantem absque medio, quia talis transitus est physicus, & loca non sunt simul præsentia mobili.

QUÆSTIO QUINTA.

De Intellectu Angelico.

An in Angelis intellectus agens, & possibilis.

Quid hic intelligendum sit nomine intellectus agentis, 117
& possibilis constat ex dictis *disp.* 6. de anima *q.* 5. *art.* 1. ubi cum Aristot. 5. de anima 17. & 18. diximus Intelligendum esse nomine intellectus agentis principium utile effectiuum specierum intelligibilium in ordine ad obiecta materialia, qua ratione dicitur ab Aristot. intellectus agens, & omnia facere; nomine verò intellectus possibilis intelligendam esse potentiam pariter spiritualem ordinatam ad recipiendas huiusmodi species intelligibiles virtute intellectus agentis, & phantasmatibus productas; qua ratione dicitur ab Aristot. intellectus possibilis, vel potius passibilis, quatenus omnium rerum species suscepit, quibus in actu primo completur ad intelligendum, & posteà cum ipsa specie est comprincipium intellectionis actualis; Ex dictis autem ibidem constat necessitas ponendi intellectum agentem in anima rationali; cùm enim ipsa sine specie spirituali sibi proportionata intelligere nequent, cumque phantasma ex eo, quod est species materialis, nequeat ut causa principalis speciem spiritualem producere; hinc deuximus necessariò admittendam esse potentiam aliquam spiritualem, quæ ut causa principalis simul cum phantasmate producat speciem spiritualem in intellectu possibili; Nunc igitur est difficultas; an hæ potentiæ quoque sint concedendæ in Angelo, & ob eadem causam.

Ex quo patet In hac quæstione supponi Angelos quoque 118
speciebus intelligibilitatis indigere ad intelligendum saltem in exercitio cognitionis abractivæ, negata namque tali specierum necessitate in intellectu Angelico, uti de facto negavit Vasquez *disp.* 200. supponens alioqui, ut certum, dari species in intellectu nostro, non habet amplius locum præsens quæstio; etenim si intellectus agens detur in Angelis, non ad alium finem admitti potest, quam ad abstractionem specierum ab obiectis materialibus pro eorum cognitione abstractiva; Quod verò Angeli quoque speciebus indigeant ad intelligendum, & quod ipsi quoque verè per species intelligant est communis opinio Sancti Thomæ 1. *part. quæst.* 55. & *quæst. seq.* Scoti 2. *distinct.* 3. *quæst.* 8. & aliorum Scholasticorum ibidem, & ostendi potest iisdem rationibus quibus *disp.* 6. de anima *quæst.* 4. *art.* 1. probavimus necessitatem specierum ad exercitium cognitioni saltem abstra-